RUMINATIO COLLEGII PUBLICI DISCURSUUM ACADEMICORUM

Ad

AUREAM BULLAM CAROLI IV. ROMANORUM IMPERATORIS, &c.

Quam

Consensu & auctoritate

Magnifici & Amplissimi JCtorum ordinis

Sub Præsidio

VIRI

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi

DN. DOMINICI ARUMÆI, JCti

celebratissimi, Hæreditarii in Lobedaw & Geschwitz/ Consiliarii Saxonici gravissimi, Decretalium in inclyta hac Salana Professoris Publ. Facultatis juridicæ p.t. Decani, & Scabinatus Ordinarii meritissimi, Dicasterii item Provincialis Adsessoris Primarii, &c. Dn. Promotoris, Præceptoris & Hospitis sui æternùm devenerandi,

Publicæ & placidæ disquisitioni


In JCtorum Auditorio

Ad diem Augusti

horis consuetis

subjicit

ANTONIUS GLOGER Mœno-Francofurtanus.



JENÆ

Sub Chalcographéo Weidneriano,

ANNO M. DC. XXXV.



D. O. M. A.

Prodromus.

HActenus divinâ favente clementiâ, Collegium Discursuum Academicorum (quorum Autorem Magnificum & Nobilissimum Dn. Præsidem recognoscimus, deprædicamus) ad celebratissimam pariter & saluberrimam D. Caroli IV. Imper. Auream Bullam, decem disputationibus absolutum dedimus; nunc impræsentiarum ultimam eidem adhibituri manum, non secus ac munda animalia, quæ dum propter primorum in superiori mandibula dentium defectum, pabulum tam citò, ut concoctioni sit aptum, satis mandere nequeunt, id in rumen ad tempus demittere, indeque rursus ad os revocare, remandere & demũ verum in ventriculũ ingerere amant: ita & nos herbulas & delibatos hucusque flosculos ex prædictis discursibus ad penitiorem eorundem considerationem & fideliorem memoriæ impressionem ruminabimur, atque ita in succum & sangvinem convertemus. Ruminabimur autem non omnes præcedentibus disputationibus insertos, (id enim instituti non feret ratio) sed è singulis binos, difficiliores, formosiores, ex ipso A.B. textu erutos, quorum fortassis sapor non satis degustatus, aut saltem olfactus non indignus repetitâ operâ. Sit itaque

I.

Nobilis illa quæstio de nobilibus immediatè Imperio subjectis, utrum illi jus Comitiorum habeant?

ET quidem quòd superioribus ab his seculis, ad comitia vocati fuerint, in iisque comparuerint, jus sessuræ & dicendæ sententiæ habuerint, non leve præbet argum. priscus ille Cæsareus stylus, mit gutem Raht vnser vnd des H. Reichs Churf. Fürsten/Grafen/Freyherren/ Rittern/Knechten vnd Städten/ frequentatus tum in *Bulla hac* Car. IV. *in fin. proœm.* & Sigismundi, §. 2. 3. & 4. quæ extat apud Magnificum Dn. Goldastum *tom. 1.*

Constit. Imper. pag.143. tum in Recessibus Imperii *de An.1442. in prin. & An.1495. rubr. Reformation* **König Maximilian.** §. **Item von der heimlichen.** *cir. fin. Magnif. & Nobiliss. Dn. Præses in tract. de comit. c.4. n.125. Gerlac. Buxtorff. ad A.B. concl.5. Besold. discurs. de ordin. equest. n.13.* Dissentit latè *Limnæus lib. 6. de jur. publ. c.3. n. 18.19.20.* Sed insecutis temporibus quamvis eos vocatos fuisse ex matricula Comitiorũ *Francofurti An.1494.* celebratorũ, (quibus **die Ganerben von Gelnhausen und Friedberg** interfuerunt, sicuti videre est *apud Lehmann. lib.5. Chron. Spiren. c. 20. sub rubr.* **Grafen und Herren/etc.**) verosimile videatur, tamen non comparuerunt. Ratio hujus ipsorum absentiæ si aliqua danda est, cum Magnif. Dn. Præsid. d.l. eam dicimus, quòd isti Nobiles fortassis longè honorificentius & utilius reputârint, si post comitia pro charitativo subsidio cum ipsis ut liberis & exemtis, non secus ac cum magnis Regib. agatur, *vid. R.I. An. 1566. rubr.* **Folget weiter im Abschied.** §. **Was man mit den Ritterschafften/** &c. jun. §. **Wie man mit den Königen.** Et ergò cum comitia negligerent, ad ea à tempore Maximiliani I. (sicut ex mutato consueto stylo *in R.I. An. 1495. in pr.* patescit) ad hodiernum usque amplius vocari desierunt, ut locum & votum in iis amplius reperiant nullum, uti ex subscript. *R.I. Ann. 1500.* & omnium hucusque factorum, ubi nulla unquam nobilium fit mentio, abundè colligitur: & disertis verbis testantur **die Churf. Fürsten und gemeine Stände des Reichs in ihrer Antwort im Religionsfrieden/der Röm. Königl. Majestet den** *6. Septemb. Annô 1555.* **ubergeben** §.4. ibi: **Was aber die Freyen vom Adel/ oder die Ritterschafft/dem Reich ohne Mittel / und sonst keinem höhern Stand unterworffen / die keine Stimm und Session im Reichsraht haben/auch in den Anschlägen nicht begriffen/anlanget/etc.** & quid multis? illi ipsi Nobiles idipsum haud inviti fatentur in literis traditis correspondent. statib. Norimb. Ann. 1619. 11. Octobr. congregatis, in arg. 7. quas recitat *Limn. d.l. n.34.* Ex quib. tanquam unicâ & propriâ notâ *Magn. Dn. Præs. d. l. n. 1.* Diomedeâ necessitate inferendum, prænominatos istos Nobiles, status Imperii propriè dictos hodiè haudquaquam esse aut dici posse. *Magnif. Dn. Præs. d. n. 125. Magnif. Dn. Reinkingk de regim. secul. l.*

I.

1.cl.5.c.10.n.1. Dn. Bertram. de comit.memb.3.n.39. Nolden tr. de nobil.c.17.n.70.cum mult.seqq. Cluten in syllog.rer.quotid.th.26.lit. K.Dan.Otto de J.P.c.13.

II.

Elegantis est disquisitionis Imperatoriâ decisione dignæ, quale liberis Civitatibus Imperialibus in Comitiis votum competat?

Sanè omnes iis votum, ut vocant consultivum, sive consultandi jus ambab. largiuntur manibus: in jure verò suffragandi sive voto decisivo omnis cardo vertitur, an nimirum & istud eis competat? Hodiernos mores si respicimus, observare licet, quòd Electores & cæteri Principes, ubi circa punctum propositionis concluserunt, soleant inter se, non vocatis Civitatũ nunciis, referre, si consentiant, punctum pro concluso haberi: sin verò inter se dissentiant, Cæsari utramque partem votum suum referre, nunciis Civitatum voto suo alterutri parti accedere, perque hoc pluralitatem, qui effectus voti est decisivi, facere non valentibus, attestante *Magnif. Dn. Præside d.tr.de com.c.7.n. 147.* Quo fortassis permoti *Peucerus in supplem. Chron.Car.lib.5. Caspar Ens in thes.polit.lib.1. apotel.6. pag. 145. & Orator Venetus in relat. de aula & regno Imperat. Rom. ap. Philip. Honor. pag. 55.* votum Civitatibus decisivum denegarunt. Verùm non immeritò liberæ Civitates huic Principum conatui semper sese opposuerunt, & protestationibus solenniter in Comitiis & alibi factis, jus sibi suum reservarunt integrum, uti videre est *ex consiliis Ludovici Grempii & Hieronymi* zum Lamb / der Erbarn Frey vnd Reichsstädten Session/Stand vnd Stimm belangende. Et sanè quòd Civitates æquè ut cæteri status sessionem atque votum decisivum obtinere, nec ei quod ab Electoribus vel cæteris Principibus conclusum est, vel necessariò accedere, vel eidem acquiescere, de jure teneantur, statuunt *præter prælaudatos istos Ludovic. Gremp. & Hieron.* zum Lamb. *Magnif. Dn. Præses disc. ad A.B.1.th.8. Tob. Paurmeist.de Jdict.l.1. c.2.n.33. & seqq. Matt. Stephan. eod.tr.lib.2.part.1.c.4 n.35.& seqq. Matth.Webner in obs. pract. verb.* Freye Reichsstädte. *Besold. diss de jur.& Imper.Civit. Imp.n.7. Bertram de comit.th.46. Cluten in syllog.rer.quotid.th.27.*

lit. C. Syring. diss. de pac. relig. th. 39. lit. b. & novissimè Limnæ. l. 7. de J. P. cap. 1. n. 47. & plurimi alii ab his relati; idque non sine rationibus & fundamentis solidissimis: ut enim consultò omittam, quæ de naturali æquitate, quæ de literis evocatoriis ad Comitia, **daß ihr (die Städte) mit und neben andern Ständen helffet handeln/rahtschlagen und schliessen/ &c.** quæ de præfation. in hac nostra Bulla Car. 4. & R. I. Ann. 1442. quæ de subscriptionibus R. I. quæ de clausula ista solenni R. I. adponi solitâ, **haben wir uns nachfolgender Ordnung vereiniget/ verglichen/ und deßhalben mit uns gegen einander Contractsweise verpflichtet/** quæ de absurdis & aliis inconvenientibus, quæ denique alia plurima prolixè adferuntur, ut inquam consultò omittam, unicam tantummodò Imperii antiquissimam observantiam, longè hominum memoriam excedentem, quæ legis vicem obtinet, *l. 1. §. fin. l. 2. pr. de aqu. pluv. arcend. l. 3. §. 4. de aq. quotid.* produco, quã per plurimos actus ab Anno 1300. distinctè deducunt *Auctores dict. consil.* Et licet interdum vel ut plurimum Electorũ & Principum votis, ubi utilius proferre non valuerunt, in observantiæ signum, accesserint, multoties tamen si è re sua atq; Imperii fuit, tertiam & ab utrisque discrepantem propugnarunt & explicarunt sententiam, quam etiam, sicubi cum principibus in unum convenire non poterant, separatim Cæsari in literis tradidere, ut Principes ad mutandum suam fuerint inducti, aut ubi non mutata fuit, in iis tamen casibus factum legitur, qui Civitatibus non fuere præjudicio, *uti demonstrant prædicti Authores*; adeò nil absque Civitatum consensu & præjudicio propositum aut conclusum fuit! At hos, inquis, actus Civitates ex propriis stabiliunt scripturis, quare parum iis fidei attribuendum *per l. 6. & l. 7. C. de probat.* Sed benè Resp. *laudati Auctores dict. consil.* reperiri istas scripturas in Civitatum archivis: archivum autem dici locum publ. in quo acta reponuntur *gl. in Nov. 15. c. 1.* 2. pluribus diversis in locis conformiter reperiri, 3. esse antiquas, & antequam ista controversia unquam innotesceret, scriptas; plenam itaque facient probationem *per text. in c. cum causam ext. de probat. ibiq; Cc. c. ad audientiam. de præscript. c. 1. de probat.* Hisce aliisque permotus Car. V. Imper. in Comitiis Spirensib. An-

no

no 1544. adſentientibus Principib. & in Com. Auguſtanis An. 1548. pro Civitatib. pronunciavit, quorum tenor apud *Magnif. Dn. D. Præſ. d. c. 7. n. 146.* legere eſt.

III.

Ex primo membro cap. 1. A. B. pulchra ſuboritur dubitatio: an Electores aut eorum nuncii, ſi inſolitam ingrediantur viam & ſpolientur, à domino territorii damni emendationem jure petere queant?

Qua in re ita diſtincte procedemus: quòd ubi Electores ſalvum per inſolitam viam à Domino territorii conductum tépeſtivè petierint, tum ſi ſpoliati fuerint, damnum reſarciri jure petant, *Gail. 2. obſ. 64. n. 12. Mynſ. 5. obſ. 70. n. 4.* ſiquidem & inſolita iſta via in domini territorio, per quod ſalvus ab eo præſtari oportet conductus §. *præmiſſas 17. d. cap. 1.* ſita eſt. Et quod tantò magis dicendum videtur, cùm Elector talem conductum per viam inſolitam haud poſtulaturus fuiſſet, niſi ſuas hinc ſenſiſſet commoditates, quæ utique ipſi adimendæ non ſunt: quod tamen fieret, ſi damni emendationem petere non poſſet *Rumlin diſſ. 2. ad A. B. th. 8.* Quod ſi verò conductum petere Elector neglexerit contra diſpoſitionem *A. B. d. cap 1. §. volumus a. 16.* & viam inſolitam ingreſſus damnum ſenſerit, eſt quod ſibi imputet, nec emendationem ejus à territorii domino jure petet, cùm & aliàs via ſolita & non inuſitata in damni præſtatione attendenda ſit, *uti ex Crnvetta conſil. 400. n 15. benè monet Gail. d. obſ. 64. n. 12.* alia quippè ratio eſt viæ, alia deviæ: illam tutam, hanc nô item dominus territorii præſtare tenetur, *Magnif. Dn. Præſ. diſcur. ad A. B. 1. th. 22. & in tr. de comit. cap. 5. n. 61. & ſeqq. Rumlin d. l. ibidq; ejus additionator Speidelius.*

IV.

Si tempore eo, quo convocatio Electorum ad eligendum Regem Rom. debet fieri, Archiepiſcopus Moguntinus non exiſtat, an tum capitulo id juris competat, dubiæ eſt quæſtionis? Neg.

Quam-

Quamvis enim capitulum idem aliàs poſſit quod Epiſcopus, *c. un. de major. & obed. in 6. c. cum olim. 14. ext. eod. c. un in pr. ne ſed. vacan. in 6.* & non ſit inferius Epiſcopo, ſed ei mortuo in jus omne quodam accretionis modo ſuccedat, *Paurm. de Jdict. lib. 2. c. 7.* ut non immeritò ut ad alia Comitia Imperii ſede vacante vocatur, & vocari debet, *vide Magnif. Dn. Ordin. tr. de comit. c. 4 n. 105. Dn. Bertram. diſc. de comit. th. 37.* ita & ad Electoralia Comitia admitti debeat, atque adeò in noſtro caſu capitulum Moguntinum convocationem celebrare; Veruntamen utut optimâ ratione receptum ſit, ut ad comitia Imperii generalia capitulum ſede vacante vocetur, in noſtra tamē propoſita quæſtione diverſum dicendum: cùm quod Epiſcopus, idem etiam capitulum poſſit, &c. ſaltem in iis verum putetur, quæ Epiſcopo ut Epiſcopo, non verò aliunde vel ut alii & diverſæ perſonæ competunt, *arg. c. 2. ext. ne ſed. vacan.* Jus autem convocandi Electores in noſtro caſu Moguntino non ut ArchiEpiſcopo, ſed ut Principi & Electori competit, *arg. cap. 1 § 1. ibi: Principes Electores §. 20 unusquisq; Princeps Elector. §. 21 & 22. cap. 2 §. 1. 3 4. 5. & 7. cap. 4 6 & 7. A. B. & paſſim.* Deinde etiamſi concedatur, Moguntino tanquam Epiſcopo hoc jus competere: aliud tamē eſt capitulum, aliud Epiſcopus: propriè enim loquendo Archiepiſcopus tanquam ſummam dignitatē habens non eſt de capitulo, ſed ſoli Canonici id conſtituunt *c. cum in cunctis 7. in fi. ibi: per capitulum aut per Metropolitanum. ext. de elect.* Nunc verò *A. B. cap 1. §. 18. & 19. c. 4. §. 2.* diſertè loquitur de Arciepiſcopo non de capitulo. 3. Capitulum ſede vacante non poteſt de novo conferre beneficia *d. c. 2. ext. ne ſed. vacan.* Ergò multò minus dignitatem Cæſaream, quâ nullum orbis anguſtius beneficium habet, conferre poterit: quod accideret, ſi capitulo poteſtas convocandi, & ea peragendi daretur, quæ Archiepiſcopo ſpecialiter competere dicuntur *in d. §. 2. ca. 4. & aliis textib.* Et ſanè 4. ſi unquam convocandi jus ſibi aſſerere poſſet capitulum, eo certè caſu dicendum id foret, ubi Archiep. Mogunt. negligens exiſtit *c. 2. ext. de conceſſ. præbend.* at nec hoc poteſt caſu: eò quòd Coelectores proprio motu non vocati, pro fidei ſuæ virtute, quâ ſacrum proſequi tenentur

Im-

Imperium, Francofurtum advenire debent, *§. 19. d. c. 1. A. B. Magnif. Dn. Ordin. tr. de Com. d. l. n. 103 & 108. & d. Disc. 1. ad A. B. th. 24. Buxt. ad A. B. th. 15 lit. c. Dan. Otto de J. P. c. 10. p. mihi 240. Wurmſ. exer. I. P. 2. q. 5. Limn. l. 3. c. 3. n. 13. de I. P.*

V.

De eo, utrum viventi Imperatori alius adjungi, & in Regem Rom. eligi poſſit, graviter olim conflictum eſt?

Quod poſſit hodiè Rom. Rex vivo Imperatore ſive ipſe conſentiat, ſive diſſentiat, modò juſtæ ſubſint cauſæ (de quibus Electoribus gravi maturoque conſilio antequàm ad electionē tranſeant, deliberare omninò convenit, ut *ex transact. Cadamitia ap. Sleid. de ſtat. relig. lib. 9. p. mihi 243. conſtat*) eligi, dubitare amplius prohibent tum exempla *Maximil. I. Ferdin. I. Maximil. II. necnon Rudolph. II.* qui omnes vivis patribus & fratre Impp. electi fuere, tum inprimis Capitulationes *Impp. Matthiæ artic. 32. & moderni Ferdin. Auguſti ar. 34.* quam poſteriorem recitat *Limn. de I. P. l. 1. c. 12. n. 35.* ubi vide. Sed an id A. B. conveniens ſit, graviter non ſolum olim dubitatum fuit: ideò enim electio Ferdin. I. à Johanne Electore Saxoniæ & Proteſtantib. eò quòd vivo Imperat. contra ſanctionem Carolinam in A. B. eſſet facta, acerrimè impugnata legitur *ap. Sleid. l. 7. cir. fin. Thuan. l. 2. hiſt. p. 107. & in diſcurſib. aliquam multis, quib. Magn. Dn. Goldaſt. in ſua polit. Imperial. partem totam ſecundam attribuit fol. 136. cum ſeqq.* ſed & hodiè in eo hæſitatur: In affirmativam deſcendit *Magn. Dn. Præſ. diſc. 2. ad A B. th. 13.* cui dicam propterea ſcripſit *Limn. l. 2. c. 15. n. 22. cum ſeqq.* Voluit ſuam corroborare ſent. *Magn Dn. Præſ. d. l. ex pr. c. 1. A. B.* ubi dicitur, quòd quotiescunq; & quandocunque futuris temporibus neceſſitas ſive caſus electionis Regis Rom. emerſerit, toties ſalvus conductus Electoribus ſit concedendus, &c. ex quibus 1. concludit, quòd ea ad unicū mortis caſum reſtringi non poſſint, cùm ſint indefinita. E. ſic etiam accipienda *per ll. vulg.* Reſp. *Limn. d. l. n. 23.* ſe ea indefinitè interpretari ſc. ſecundum *c. 4. § 2. & c. 5. in pr.* quoties & quando ſacrum vacare cōtigerit Imperium, toties & tunc Rom. Regem eligi poſſe: vacantiam autem accipit de

fis casibus, quando vel Imperator mortuus fuerit, vel propter inhabilitatem aliam remotus, vel quan. Imperio renunciaverit: At hoc nostro casu Imperium non esse vacuum. Sed non incommodè videtur resp. Limnæo negando eum verba ista indefinitè accipere de omni necessitatis casu, sed potius restringere ad certos quosdam casus. Et sanè si non indefinitè accipienda, sed ita restringenda forent, nec Limnæus duos istos posteriores vacantiæ casus ex A B, probare poterit, cùm expressè in §. *19. d. c. 1.* mortis naturalis tantum fiat mentio, atque ita dicendum videbatur, vacantiam *d. l.* strictissimè de unico mortis casu exaudiendam esse; quo fortassis *Sleidan. in summaria capp. B. n. recensione l. 1. de stat. relig. p. mihi 27.* & Saxoniæ Elector ejusque socii *suprà dd. loc.* permoti, unicum tantum mortis casum A. B. contineri, instantius urserunt: quo tamen non obstante, dixerim Carolum nostrum ibi non restrictionis ergò, sed quòd plerunque Regem Rom. mortuo Imper. tum temporis eligi contigisset, expressisse. De significatione vocis vacantiæ *infrà qu. 9.* videbimus. Quib. ita positis sequitur *Magn. Dn. Præs. d. l.* rectè 2. intulisse, quòd si prædicta verba ista ad solum mortis casum essent restringenda, sequeretur, quòd nec eo casu, ubi inhabilis est Imperator, Rex Rom. eligi queat, in quo tamen reclament exempla Adolphi Nassovii & Wenceslai. Ad id enim quod regerit *Limnæus n. 24.* tunc vacasse Imperium, ex prædictis capit responsionem. 3. argumentatur *Magn. Dn. Præs.* ubicunque necessitas emergit, Rex Rom. *juxta d. pr. c. 1.* eligi potest; verùm non tantùm ubi Imperator moritur, aut deponitur, sed & cùm plurium regnorum regimine implicatur, necessitas emergit. Ad quod prolixè multis distinct. & subdistinct. adhibitis Resp. Limnæus *n. 25. & 26.* & Magn. D. Præsidem, quasi tantum regnorum multitudinem causam hoc passu electionis Rom. Regis posuerit, intelligit, cùm tamen statim *Magnif. Dn. Præs. d. l.* versâ paginâ ex *Auctore relationis historicæ D. Matthiæ*, alias quoque adferat, ingravescentem sc. Imperatoris ætatem, & generaliter gravissimas quascunque, & ipse *Limn. d. l. n. 31.* fateri cogitur, causas speciales omnes adsignari non posse, sed generaliter statuendam utilitatem esse publ. quod autem

res

regnorum pluralitatis Magn. Dn. Præs. ibi saltem fecerit mentio, respexisse videtur, ad Carol. V. qui ad Electores Coloniæ eligendi Regis Rom. gratiâ congregatos, eam in sua petitione primo collocavit loco, ut videre est *apud Sleid. d. l. 7. circ. fin.* Et quod non solùm ad hanc modò dictam, sed ad omnes alias causas, quæ svadeant vivo Imperat. Regis Rom. electionem, responderet Limnæus, eas non importare necessitatem absolutam, sed hypotheticam sive consequentiæ: ad eá distinct. quod olim Mauritius Sax. Elector Carolo V. subtiles quasdam interpretationes adversus Philippi Landgravii liberationem nectēti, responsi dedit: ego, inquit, te tanquam Imperat. non tanquā legistam volo pactiones & fœdera interpretari: id & Resp. Germanica Limnæo non inconvenienter dabit, ego sc. ita te interpretari volo bonum publ. non ut Logicum vel Metaphys. sed ut patriæ amantem politicum. 4. Concludit M. Dn. Præs. optima est legis interpretatio, quam is suo exemplo dedit, qui legis auctor est. Constat autem quòd Car. IV. non tantum de casu mortis, verùm etiam electionis ejus, quæ vivo Imperatore fit, Bullam intellexerit, quia filius ejus Wenceslaus, ipso vivente & sollicitante in Regem Rom. electus fuit *Cuspin. in vita Wencesl.* Resp. *Limn. n. 27.* non sequi, Carolus hoc vel illud peregit, E. secundum præscriptum A. B. cùm in quamplurimis ab ea recesserit. Sed ne longius aberrem, breviter resp. etsi in quibusdam ab ea recesserit, non tamen statim & in hoc, cùm aliàs de aliis Impp. laudatissimis suprà enumeratis, qui in A. B. observationem sanctè jurarunt, idem enunciandum foret: pro Carolo E. nostro stabit præsumtio. Quibus omnibus coronidis loco, expressum de affirmativa nostra sententia subjungo testimonium, quod habetur *in d. transact. Cadamica apud Sleid. d. lib. 9. p. mihi 243.* quam quoque *ex Magnif. Dn. Hortledero*, germanicè refert *ipse Limn. n. 33.* in quâ nihil clarius, quàm vi A. B. ab Electoribus si causæ prægnātes id svaserint, posse vivo Imperat. Regem Rom. eligi: quod statim *in exordio d. relat. histor. D. Matthiæ Auctor* (qui *in libro inaugur. coronat. electionisq; aliquot Impp.* nominatur *Doct. Jessenius eques Ungarus*) verbis quoque emphaticis concludit, quæ cuncta huc transferre, brevitatis gratiâ lubens supersedeo, tu dictis locis vide.

VI.

An Pontificia coronatio adeò necessaria, ut sine ea Imperator dici non possit? dubiæ est expositum aleæ.

Præsules Romani præ nimio fastu libidineque dominandi, & eorundem culinæ gnathones, qui rarò Veronenses, semper Placentini & Laudenses, ut habeantur Beneventani, esse student, ut in simili de consiliariis adulatorem agentibus scribit *Jos. Nolden in suo Trebat. cap. 27. n. 17.* severè adsertum eunt, Imperatori Pontificis coronationem usque adeò necessariam esse, ut absque ea neque nomen Imperat. neq; administrationem Imperii, neque jus utendi bullâ aureâ, aut bicipiti aquilâ ei competere possit. Verùm nos qui Favonium Vaticani Cœli nihili facimus, quibusque Laudo & Placentiâ relictis, intra Veronam humani consortii Coronam ambulare cordi est, de eo qui vacante Imperio in Regem Rom. electus est, è diametro contrarium asserimus. Inter Regem enim Rom. & Imperat. tantum nominis sonus differt, quod de pignore & hypotheca dicebat *Martianus in l. 5. § 1. de pign.* in essentia verò idem sunt, quod disertè probat *Constit. Ludovici IV. Imper. lata in Comitiis Colon. Ann. 1339.* cujus verba, cùm apprimè nostram firment sentent. huc referemus: De consilio, *inquit*, & consensu Electorum & aliorum Principum Imperii declaramus, quòd Imperialis dignitas & potestas est immediatè à solo Deo: & quod de jure & Imperii consvetudine antiquitus approbata, postquàm aliquis eligitur in Imperat. sive Regem ab Electoribus concorditer, vel majori parte eorundem, statim ex sola Electione est Rex novus & Imperat. Romanorum censendus & nominandus, & eidem ab omnibus Imperio subjectis obediri & administrandi jura Imperii, & cætera faciendi, quæ ad Imperat. verum pertinent, plenariam habet potestatem, nec Papæ sive sedis Apostolicæ, aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget vel consensu. *Vid. Dn. Goldast. tom. un. Const. Imper. pag. 336. & pag. 414. ubi hæc constitutio Ludovici renovata legitur à Gunthero Schwartzburgensi Imperat.* Cui confor-

forme est *Georg. Sigism. Seldi Vice-Cancellarii Ferdin I.* Bedencken an Kayser Ferdinandt/ wie deß Pabsts Pii V. unbilligem zumessen/wider ihr Kays. Maj. ordentliche Wahl durch die Churf. des H. Reichs ohne des Pabsts Consens und Bewilligung geschehen/zubegegnen seq. ibi: Und ist auffm Reichstag zu Franckfurt durch gemeine Stände/und andere erkandt worden/ daß ein Römischer Kayser und König eben ein Ding seyn. *Dan. Otto de J.P. cap. 10. pag. mihi 185.* His ita positis II. Rex Rom. statim atque peracta est electio, Electoribus privilegia ritè confirmare potest & debet §. 5. *cap. 2.* A.B. cùm idem & Imperator possit *l. 1. de constit. princ.* rectè quoque statim Imperii administrationem adit *d.* §. 5. ut nulla heîc opus Pontificiâ coronatione; quòd si enim per Coronat. papalem hoc ei demum liceret, illud inde III. absurdum consequeretur, quòd & alii Reges, quibus à Regnorum Archiepiscopis vel Episcopis corona imponitur, regna iis sua accepta ferre debeant: cùm tamen is qui coronat, nihil novi electo tribuat, sed quod ei tributum est, festivè magis quàm de necessitate significet: non enim ideò coronatur ut Imperator sit, sed cùm sit Imperator, ideò coronatur. Quod Impp. etiam ii, qui à Pontific. coronati fuerunt, advertentes, istâ utuntur formulâ, Wir von Gottes Gnaden erwehlter Röm. Keyser/ non verò gekrönter Röm Kayser/significantes, se plus electioni, quàm coronationi debere. Hinc etiam IV. posteriores Impp. videntes nihil realitatis Pontificum coronationem conferre, eam ut inutilem & supervacuam meritò spreverunt. Rudolphus Habspurgensis nunquam Italiam vidit, nedum Romæ coronatus est, causamq; cur ad Pontificis Nicolai instantiam Romam ingredi recusaret, rogatus resp. me vestigia terrent, omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum. *Dan. Otto d. l. pag. 284.* Et Maximil. I. si Bodino *de Rep. l. 1. cap. 6. n. 225.* credimus, coram ordinibus Imperii, coronam à Pontifice accipere minimè sibi necessarium videri, publicè professus est. Et si omnes Impp. à Ferdin. I. usque ad hunc Ferdin. II. numeraveris, nullus eorum à Pontifice coronatus legitur: ut vanum hucusque eorum augurium non fuisse appareat, qui cùm in coronatione Pontificia Car. V. Bononiæ celebrata pons

in-

ingens, super quē ingrediebantur, corrueret, rem in omen vertentes, ex confracto ponte nullum deinceps alium Imperat. coronatum iri vaticinari ausi fuerint. Quod si tamen de eo, qui vivo Imperat. electus est, sermo sit, fatendum erit, eum non quidem tum temporis uti bullâ aureâ, sed tantum sigillo, nec aquilam duplicem, sed saltem simplicem in insignibus gerere: attamen ubi mortuus fuerit Imperat. ex Electorum voluntate iste Rom. Rex electus ipso jure in locum Imperat. nomenque succedet, R. A. zu Augspurg. *Ann. 1559. in pr.* atque cætera, quæ modò diximus, legitimè usurpabit, etiamsi nunquam à Papa coronatus fuerit. *Magn. Dn. Ordin. disc. 2. ad A. B. thes. 20. & 21. Dn. Carpzov. de capitul. Cæsar. c. 22. Sixtin. de regal. l. 1. c. 4. n. 14. Thom. Michael de Jdies concl. 3. lit. c. Dan. Otto & Coler. d. l. Limnæus l. 2. de J. P. c. 4. n. 70. cum mult. seqq.*

VII.

Origo Electorum à quo tempore sit deducenda, multum disputabilis est quæstio?

Nullus in hunc usque diem extitit, qui certum aliquid, quodque non oppugnatum, imò expugnatum ab aliis sit, hac de re tradidit, *teste Onuph. Panvin. de com. Imperat.* sunt enim qui eam Car. Magno, sunt qui Ottoni III. sunt qui Rudolpho I. sunt qui Car. IV. asscribendam putent, ut quid hac in re densissimis conjecturarum nebulis involuta, inque harum opinionum conflictu statuendum sit, jurare possis, tibi non liquere. Veruntamen cùm nihil addi detrahivè possit illustrissimi Collegii Electoralis dignitati, quemcunque tandem Imperatorem auctorem ejus constitueris, ideò si à nobis aliqua est danda decisio, Bullam nostram penitius introspicientes, dicimus, Collegium hoc Electorale, non tam speciali & expressâ aliquâ constitutione, quàm consvetudine, quæ usurpatione juris Electoralis orta est, sensim introductum & constitutum esse, idque probamus 1. *ex cap. 1. in pr. A. B.* ubi Electores necesse habent proficisci ad Electionem Rom. Regis, non ex sanctione aliqua hac de re extante, sed juxtà usum longævum & antiquam laudabilem consvetudinem, 2. *ex cap. venerabilem. ext.*

ext. de elect. & elect. pot. in pr. ibi: ad quos de jure & antiqua consvetudine noscitur pertinere. Cùm enim ab initio omnes Imperii ordines eligerent, postmodum autem in tanta multitudine, multa & difficilia & nonnunquam inconvenientia se proderent, verosimile est, ut olim ad Senatum necessitas, ita hîc utilitatem curam Reip. ad pauciores Imperii proceres deduxisse, atque sicubi casus electionis emergebat, hos nostros Electores elegisse, jusque istud eligendi ita latendi usurpatione paulatim ad se traduxisse: radicibus igitur altiùs actis tandem l. publicâ, id est, A. B. Carol. IV. stabilitum & comprobatum fuisse, & quidem communi procerum assensu, A.B. *in pr. Magnif. Dn. Præses disc. 3. ad A.B. th. 6. Schönborn. l. 5. pol. c. 32. Limnæ. l. 3. c. 1. n. 7. & seqq. de J. P.*

IIX.

An scrutinium in Electione Cæsarea publicè an verò privatim instituere expediat? non sine ratione dubitatum invenio.

Non desunt enim exempla publicè instituti scrutinii in electione *Frider. I. Car. V. & Maximil. II.* in Electione verò *Adolphi Nassoviensis* secretè peractum legitur: quod cum Jure etiam Canon. fieri præcipiatur *c. quia propter. ext. de elect. & elect. pot. c. si quis justo. in fin. eod. in 6.* nihil autem hac de re in Bulla nostra expresse dispositum reperiatur, tutior meritò dicitur esse via scrutinium secretum: idque rat. non ineleganti est suffultum: sic enim futurum, ut majore cum libertate vota proferantur: videre enim est, nonnullos pudorem naturalem, vel præconceptam opinionem de prudentia ejus, qui prius votum dixit, deterrere, quò minus id, quod mente cogitant, liberè proferant; Et inde illud est, quod ait *Ulpian. in l. 17. in fin. de recept. arbitr.* potuit præsentia ejus trahere eos in ejus sententiam. *Magnif. Dn. Ordin. d. disc. 3. thes. 22. eumque sequi videtur Wurmser. ex. 2. quæst. 7. J. P. Diss. Buxdorff. ad A. B. thes. 42. lit. f. Rümlin part. 1. diss. 4. ad A. B. qu. 8.*

IX.

IX.

Num Sereniſſimi Electores Palatinus & Saxo, abſente etiam Imperat. vicariatus officium exercere queant? in diſputationem ut trahatur, dignum eſt.

Et quamvis hoc de caſu in A.B. nihil expreſsè conſtitutum videri poſſit, cùm tamen non ſolum id ex legibus ſit, quod ex verbis earum, ſed & quod ex interpretatione & ſententia deducitur, ut quod ita deductum eſt, vi iſtarum legum competere rectè dici queat, *l. 6. § 1. de V.S. pr. I. de legit. patron. tut. cum ſimil.* ideò cum *Magnif. Dn. Ordin. d. diſc. 3. th. 31.* etiamnum puto, quæſtionis noſtræ affirmativam, non ineptè ex A.B. probari poſſe, quicquid etiam ei contradicat *Limnæ. l. 3. c. 12. n. 37. cum ſeqq. de J.P.* Argumentatur autem Magn. Dn. Præſ. ita: quicquid continetur in termino, ad quem fit relatio, dicitur contineri in termino referente: vel *ut alii*, relatum ineſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus, modis & conditionibus, *arg. l. 6. §. 1. de re jud. l. 27. de condit. & demonſtr.* Atqui in relato privilegio *in pr. c. 5. A. B.* non ſolùm caſus mortis, verùm etiam abſentiæ exprimitur, ſicut apparet ex privilegii confirmatione, ipſius Car. IV. aliorumque Impp. vber des Pfaltzgraffen Vicariat Ampt/ *apud Dn. Goldaſt. p. 1* Reichsſatzung *fol. 241. in verb.* Wann Röm. Kayſer vnd König vber Berg gezogen ſeyn oder ziehen/etc. Continebitur E. & caſus abſentiæ *in d pr. c. 5.* tanquam in referente. Quod ipſum quoque patet ex tenore privilegii Ruperti Imperat. *apud Freber. l. 2. c. 10. ad Pet. de Andlo.* Ad hoc arg. Reſp. Limnæ. *d. l* majorem limitando, niſi ſcil. limitetur iſtud relatum, tum contineri cum omnibus ſuis modis &c. in referente: Jam verò *in pr. d. c. 5.* relatum privilegium limitari & reſtringi ad caſum vacantiæ. E. non totum ſed ſaltem quoad caſum vacantiæ erit in referente, ut ita limitata relatio limitatam quoque ſecum trahat deciſionem. Vacantiam autem explicat *d. l. & l. 2. c. 15. n. 23. & in not. ad Dan. Otton. de J. P. c. 16. pag. mihi 530.* de iis caſibus quando Imperat. aut Imperio renunciavit, aut civiliter ob In-

ha-

habilitatem, aut naturaliter mortuus, atque ita Imperium capite suo viduatū est, ut in simili vidua marito orbata vacās dicitur *in l.5. §. 2. ad L. Jul. de vi publ.* & vacuum id, quod à nemine detinetur seu possidetur *§ 3. c. 7. A.B. c. postquam. dist. 50. c. obeuntib. dist. 63.* absentiam autem possessionem non immutare *§. 5. I. de interd. l. 3. §. 11, l. 6. §. 1. de A. P.* R. ad ejus assumt. negando, quòd sc. limitetur & restringatur in referente istud privilegium ad 3. istos casus: nam ut rem paulò altius repetam, dicitur *in pr. d. c. 5. Palatinum provisorem Imperii esse debere, quoties, ut præmittitur, sacrum vacare contigerit Imperium.* Jam verò non solùm præmissus erat mortis Imperatoriæ casus, ut alioquin nominatim ejus mentio fit *in §. 19. c. 1.* sed generaliter & indefinitè omnis vacantiæ & necessitatis casus, *pr. d. c. 1.* uti etjam *suprà q 5.* demonstratum est, E. etiam *hoc in pr. c. 5.* verba ista cum referantur ad præcedentia, indefinitè de omni vacantiæ & necessitatis casu, accipienda erunt. Atqui & tum vacat Imperium, quādo Imperator fortè trans Alpes Italiam ingrediens, absens est, uti probatur *per text. expr, in §. quod autem ad eas. I. de usucap. & l. furtum 37. §. 1. ff. eod.* ubi locus vacans dicitur non solùm, propter mortem naturalem, quando quis sine successore decesserit, aut quando quis eum neglexerit (quam negligentiam & inhabilitatem, mortem Civilem Limnæus diceret) sed & propter absentiam, ut ejus possessionem benè nancisci, quamvis ipsi usucapere non valeamus. Hisce regeret Limnæus *d. l. 3. c. 12. n. 41.* hunc quem modò dedi sensum Car. IV. esse non posse, quia *in d. c. 5.* habeatur, Com. Palatinum provisorem esse Imperii ad manus futuri Regis Rom. E. nondum existentis aut peregrè abeuntis: deinde juramenta fidelitatis vice & nomine sacri Imperii recipere, quæ si Imperatoris esset Vicarius, aut si Imperator adhuc, licet peregrè profectus, vivus, non Imperii tantum, sed & Imperatoris recepturus esset nomine. Ad quæ respondeo, non rarò hoc evenire, ut quæ generaliter & indefinitè intellecta velimus, ad certum aliquem casum, qui frequentius accidere solet, melioris notitiæ causâ dirigantur: quod præsertim hoc *in c. 5.* factum esse, svadent sup. à nobis adducta, 2. ea ipsa quæ de Palatino dicuntur *in d. c. 5.* etiam

absente Imperatore, ab eo exerceri queunt, ut adeò unum aut alterum verbum non sit captandum, seu sufficiat, quòd de re ipsa constet. 3. qui aliquid Imperii nomine gerit, & Imperatoris & omnium Imperii membrorum nomine gerere videtur? Quibus Limnæi rationibus destructis & nostris adstructis, sequitur quoque *Magnif. Dn. Præs. d. l.* curam Imperii in locis Saxoni adsignatis, in casu absentiæ etiam ei rectè adseruisse: *per fundamenta ab ipso allegata*, nec quicquam respondente Limn. *d. l. n. 42.* Si igitur Imperator peregrè abiens, nulli suas vices demandaverit, cura Imperii ad vicarios ejusdem Palatin. & Saxon. infallibiliter pertinet: si verò alii eas delegarit, statuit *Magn. Dn. Præs. d. l.* cessare tamen vicariorum potestatē. Quod posterius quoque non est ad palatum Limnæi *d. l. n. 44.* putantis, à *Magn. Dn. Præs.* istud simpliciter esse prolatum, ita ut etiam hodiè fortassis Imperator possit in præjudicium vicariorum, alium sibi constituere. Sed cùm ipse ex observantia istud desumserit, non simpliciter id; sed tantum credendum est statuisse, quantum permisit & permittit adhuc observantia. Testatur autem illa olim Imperatori vices suas, cui voluerit, demandare, liberum fuisse, etiam post fortè privilegium à Palatino obtentum, uti legitur Sigismundus (ante cujus tempora gaudebat Palatinus privilegio vicariatus) Bohemos bello persequens Cunradum Archiepisc. Mogunt. vicarium constituisse. Postmodum verò ista Impp. libertas ab Electoribus multum imminuta fuit, cùm enim *Anno 1473.* inter Frider. III. & Carol. Burgundiæ Ducem ageretur, ut hic per Imperium vicarius constitueretur, nihil effectum est: Imperator quippe sine assensu Principum Electorum super his rebus nihil poterat constituere, *uti ex paralip. ad Abbat. Ursperg. pag. 450.* recitat *Rümlin p. 1. diss 4. th. 12.* Hinc quoque Car. V. Ferdinandum fratrem vicarium Imperii generalem constituere volens, id cum assensu statuum facere *R. J. de An. 1521.* §. zu unserm Stadthalter. *jun.* §. Und wir Churf. atque Palatino & Saxoni datis reversalibus cavere coactus fuit, nullum hinc ipsorum privilegio vicariatus præjudiciũ generatum iri, *ut ex tr.* Von des H. Röm. Reichs Vicariat *refert Dan. Otto d. l. in fin.* Quod E. observantia hactenus tulit,

idem

idem quoque *Magnif. Dn. Praes. d. l.* statuere voluisse, ex *ipsius alleg. exemplis*, abunde patescit.

X.

In quibus causis Elector Palatinus Imperatoris sit judex, non usque adeò patet?

Generaliter & indefinitè conceptus est *text. in §. fin. cap. 5. A. B. super causis sc. pro quib. impetitus fuerit:* qui tamen cum temperamento accipiendus, atque ad causas tantum civiles, pecuniarias & proprias trahendus est, uti *cum Magnif. Dn. Vult. p. m. in l. 1. n. 7. C. ubi sen. vel clariss.* facit *Magnif. Dn. Ordin. d. disc. 3. ad A. B. th. 45.* Certum enim est 1. in casu exauthorationis seu depositionis, non solius Palatini, sed omnium Electorũ cognitionem esse, *arg. formularum privationis Adolphi & Wencestai*, licet tamen Palatinus & non Moguntinus instituti judicii sit director, *Magn. Dn. Ordin. d. l.* Deinde nec in causis Feudalibus Palatinus Imperatoris est judex, uti alioquin voluit *Sixtin. de regal. l. 1. c. 8. n. 53.* nec ipse Imperator in iis judicare potest, ut putat *Ægid. Boss. in var. tr. tit. de foro compet. n. 170.* sed in iis exorta lite inter vasallum & ipsum coram paribus curiæ, hoc est statibus Imperii, controversiam definiri debere, verisimilior est opinio, *per tradita à Magn. Dn. Reinkingk de R. S. & E. l. 1. cl. 4. c. 5. n. 11. & seqq. Limnæ. l. 3. c. 9. n. 52. de J. P. Rumlin p. 1. disc. 5. qu. 8. Wurmß. ex. 4. J. P. in coroll.* Denique Palatinus Imperatoris est judex, quando ut Imperator non ut Archidux Austriæ, vel ut alius Princeps Imperii convenitur: tunc enim in foro sortiendo eodem utitur jure, quo quilibet alius, nullâ habitâ rat. superioritatis Imperialis; hinc Car. V. Imper. ut Archiducem Austriæ in Camera conventum, sibi ipsi mandasse hisce verbis: Wir Carl Römischer Kayser, entbieten dir Carl Ertzhertzog von Osterreich: refert *Buxt. ad A. B. concl. 64. lit. b. in fin.* eumque sequuntur *Dn. Reink. d. l. n. 3. Speidel, in addit. ad Rumlin. d. l. q. 6.*

XI.

Insignis est controversia, an sc. Elector filio suo primogenito alium tutorem, quàm proximum agnatum seniorem testamento dare possit, ita ut ille huic præferendus veniat?

Gravissima sanè hæc est controversia, & ante aliquot lustra post obitum nimirum Electoris Palatini Friderici IV. in utramq; partem acerrimè disputata ventilataque, inter Johannem Byrontinum, & Philippum Ludovicum Neoburgicum Comites Palatinos: illo quæst. affirm. hoc verò negativam defendente, multis ab utraque parte desuper evulgatis scriptis, quorum præcipua recenset *Hænon. diss. 3. q. 6.* ut non immeritò eam in dubio reliquerit *Thom. Michael de jurisd. concl. 132. lit. g. & cum Henrico Rosenth. c. 12. n. 10. Feud. Dan. Otto de J. P. c. 17. pag. 573. hoc versiculo concludens: non nostrum inter eos tantas componere lites. Cum Magn. tamen Dn. Præside disc. 4. ad A. B. th. 10.* & aliis plurimis ab *Hæn. & Ottone d. l.* longâ serie relatis, negativâ tueri conabor. Et enim cardo quæst. in eo verti videtur, num textus *in §. 1. t. 6. A B.* juxta dispositionem juris Comm. eo demum in casu, quo de tutela curáve Elector provisionem fecit nullam, exaudiri debeat? Sanè ut taceamus alia, si scopum, quē Carolus noster collimare voluit, si ea, quæ præcedunt, quæque sequuntur designationem tutoris *in d. tit. 7.* quæ omnia noviter contra juris Comm. regulas introducta animadvertuntur, si verba quoque *d. text. eâ* tamen *conditione & modô*, & ut germanica lectio habet, doch mit der weis und beding/ & *tunc* administrator existat, &c. quæ conditionem important, atq; adeò impletionem in formâ specificâ exigunt, *l. 44. & l. 55. de condit. & demonstr.* nisi à successione Electoratus impuberem contra naturalem æquitatem arcere velis, si inquam hæc omnia accuratius consideraverimus, non possumus non fateri, *præd. text.* secundum dispositionem juris comm. de illo tantum casu non posse intelligi, sed generaliter & indefinitè tam hoc ubi in testam: facto alius tutor scriptus est, quàm eo, ubi nullum extat, casu, proximiorem agnatum ex l. publ. cui testator derogare non potest, *arg. l. 42. de oper. libert. l. 55. de leg. 1.* nec ipsi jus quæsitum auferre, *l. 11. de R. J. c. non debet eod. in 6.* legitimum tutorem curatoremvè existere, atque juxta hanc opin. actus in judicio contradictorio confirmatos videre licet *apud Magn. Dn. Ordin. d. l.*

XII.

XII.

Non minoris momenti quæstio est, an Tutor Electori 18. annorum, etiam regimen Principatuum resignare teneatur? an verò sibi eorundem administrationem usque ad annum 25. reservare possit?

Equidem prius dilucidè probatur per *d.§.1. in fin.c.5.A.B.* proximior agnatus tutor eorum (scil. primogeniti & fratrum ejus) existat, *donec* senior legitimam ætatem attigerit, quam dum *exegerit*, jus, vocem & potestatem, & *omnia ab ipsis depédentia*, tutor ipse sibi *totaliter cum officio* teneatur *protinus* assignare: ex quo manifestissimas conclusiones deducere in facili est, modò quoq; observaveris, principatus ad Electoratum pertinentes sic à jure, voce & potestate eligendi dependere, ut nunquam ab iis separari queant, *pr. c.20. & §.1.c.25. A.B. Magnif. Dn. D. Præs. d.disc. 4. th 14. Knichen de privil. Sax. in verb. Electorum cap.5. Rumlin.par.1. diss. 7. ad A.B. th.9.* Quod in tantum intellectum velim, ut si præter ditiones ad Electoratum pertinentes, etiam alios pupillus Elector tanquam Princeps, habeat Principatus, Comitatus, &c. ut hodiè habere videmus, eos quoque administrator 18. anno completo, omninò restituere protinus teneatur: utcunque in aliis principatibus secus esse dici possit, *vid. Magn. Dn. Præs. d. diss. th.15. Rumlin d.l.q.10.* Nam si 18. annorum Princeps ad Electoratum aptus, casuque contingente respectivè Imperii administrator esse potest, juxta *tit. 5. A.B.* cur ùnè suis principatibus administrandis ineptum pronunciabimus? an qui publica tractare sufficientissimus dignoscitur, privata gubernare insufficiens erit? Omnis dubietatis tollendæ ergò *Constit. Car. IV.* (quæ post *A.B. An.1356. die Johan. Evangelistæ Norimb. in causa Rupertorum lata est*) ex *Magnif. Dn. Ordin. d. th.14.* subjicere lubet: Wann aber derselbe elter Sohn 18. Jahr alt wird / zuhand sol jhnen derselbe Vormund alle Land / Herrschafft / Würdigkeit / Ehren vnd ander Rechten Nutzen vnd Zugehörigen / die er als ein Vormund eingenommen hat / ohne alle Widerrede / Verzug oder Hindernisse abtreten / vnd jhme die einantworten ohne Gefährde / etc. Cui si succenturiaveris observanti-

am, de qua testantur *Magn. Dn. Ordin. d. l. Limnæ. l. 3. c. 7. n. 64. Coler. de jure Imper. German. sect. 55.* res omnis plana erit.

XIII.

De rege Bohemiæ, cùm multiplex ejus in hac bulla inveniatur mentio, hæc disquirere lubet: utrum 1. sit Elector? a) 2. an subjectus Imperio? b) & 3. an ejusdem status? c)

a) Mirari subit, quî *Abbas Stadensis*, *speculum Saxon. ut & Suevicum* adserere potuerint, Regem Bohemiæ Electorem non esse, quia non sit Teutonicus? Mirare quoque licet, quî *Johan. Dubravius, alioquin diligens regiæ Bohemicæ dignitatis adsertor, & Canonistæ* adserant, Regem Bohem. demum, si reliqui Electores discordes sint (quod inter pares numero fiat pari suffragio concurrente) tanquam arbitrum accedere? cum tamen *in proœm. vers. sanè cum ex officio. c. 4 §. 3. & c. 7. §. 1.* inter Electores non solùm referatur, vetus & legitimus sacri Imperii Elector vocetur, sed & ei inter Electores seculares votum primum, & quidem ex regiæ dignitatis fastigio tribuatur. Quibus quoque accedit diploma *Rudolphi I. Imper.* quod *ex Gewol. & Dn. Goldast.* recitat *Limnæ. de J. P. l. 3. c. 8. n. 3.* & nota ista transactio inter Electores & Regem Bohemiæ in electione *Maximil. I* præteritum, ne scil. amplius sub pœna 500. marcarum auri puri Reges Bohemiæ in posterum excluderentur, *teste Hart. Mauro in coron. Car. V. tit. quo apparet.* Et Bohemiam sub Germania magna, qualem quidem Geographi describunt, contineri docet *Magn. Dn D Præses disc. 5. ad A. B.* & latius *Limnæ. d. l. n. 59. cum seqq.* b) Affirmamus cum *Magn. Dn. Ordin. d. disc. 4. th. ult. Buxtorff. concl 58. lit. c. Rumlin. p. 1. diss 8. thes. 6*, quia jus liberæ electionis in casu vocationis *in §. ult. c. 7.* & privilegium de non evocando & non appellando *in tot. c. 8.* ab Impp. obtenta à Car. nostro Regnicolis Bohemiæ confirmantur: privilegia autem non nisi subditis dantur, *uti ex Rutger. Ruland refert Magn. Dn. Præs. d. t.* privilegiorum quippe concessio est signum superioritatis, ex *Rimmaldo Rumlin. d. l.* plura qui volet, adeat prælaudatos Dd. c) Equidem ex præmissis id dicendum videbatur, prout seriò contendunt *Limn. d. l. n. 22. Gewold. Pantrmeist. & Dn. Goldast. alleg. loc.*

à Magn. Dn. Præs. tr. de comit. c. 4. n. 40. 41. 42. Sed cùm *sup. q. 1.* unicam & propriam quasi notam, quâ cognoscere licet statum Imperii, dixerimus esse vocationem ad comitia Imperii universalia, & sessionem & votum in illis, *R. I. An. 1512. in pr. An. 1555* §. Dieweil. *An. 1576. in pr.* quod latius persequitur *Magn. Dn. D. Præs. d. l. n. 1. cum seqq.* ultrò hinc fluit, Regem Bohemiæ *propriè ex usu juris & R. I.* statum Imperii non esse: nam ad Comitia Imperii ordinaria, atque etiam alia (exceptis iis, in quibus de electione Regis Rom. agitur) non vocatur, neque sessionem in illis & votum obtinet, prout ipse Rex Bohem. Ferdin. I. fatetur in scripto Car. V. *in Comit. Augustæ An. 1548* tradito, quod refert *Magn. Dn. Præs. d. l. n. 58.* & indicio sunt subscriptiones R. I. in quib. frequenter 6. Electorum, nulla verò Bohemiæ Regis mentio conspicitur, & R. I. *An. 1500. tit.* **Folget weiter im Abschied. §. Wie man mit dem König/etc.** ubi cum Rege Bohemiæ specialiter de ope adversus Turcam præstanda tractatur, quâ quidẽ tractatione opus haud fuisset, si ipse Comitiis interfuisset, aut Constit. Imperatoris parere compelli posset, ut alioquin deberet, si status Imperii audiret. *Magn. Dn. Præs. d. l. n. 44. cũ mult. seqq. Dn. Reinking. de R. S. & E. l. 1. cl. 4. c. 3. n. 35.* Obstabit nobis fortiter *Limn. l. 1. c. 7. n. 91. de J. P.* ad majorem nostram limitando, quod quidem benè procedat affirmativè, non verò negativè, quod qui ad Comitia non vocetur, nec in illis votum & sessionem habeat, status non sit: quod 1. probat *d. l. n. 92. ex Goldast.* longo subjecto Catalogo eorum, qui ad comitia non modò nõ vocantur, sed & ultrò comparentes à sessione & consultatione excluduntur, quos tamen Imperii status esse vult. Resp. potest, Limn. committere petitionem principii: eâ enim de causâ eos pro statibus Imperii propriè dictis non agnoscimus; & sanè subjiciuntur in isto Catalogo Burggravii Fridbergæ, Gelnhusæ, Kirchbergæ & Rotenbergæ, item nobiles in Imperio liberi: quos tamen omnes ipse *Limnæ. l. 6. c. 7. n. 32.* pro statib. Imperii non agnoscit, sed tantum minutissimam eorum partem, putà **die Ritterschafft der Burg und Schlosses zu Friedberg und Gelnhausen/ und dann die Ritterschafft und Gesellschafft S. Georgen Schilds im Hegaw.** Quàm benè ergò sc. inter se conveniant,

ipse

ipse suo viderit periculo. 2. probat *Limn. d. l. n. 93.* autoritate *Matt. Wehneri & Steph.* qui non omnes omninò civitates Imperiales, licet sint statꝰ Imperii, ad comitia vocari &c. putãt, quod exemplo civitatis Brunsvicensis probant. Sed benè responsum est eis à *Dn. Reinkingk. d. loc. c. 20. n. 25. cum seqq.* Nec textum ab eo adductum ex *R. I. An. 1548.* § Wann auch ein. *ibi:* nicht Stim vnd Stand in Reichsversamlung hat non probare hoc, statum Imperii vocari ad comitia, &c. rectè *Limn. d. l. n. 94.* negat: arg. n. à contrario sensu ducto benè sequitur, Ergò welcher Stim vnd Stand in Reichsversamlung hat/der ist ein Reichsstand. Ad minorem nostram Resp. *Limn. d. l. 3. c 8 n. 23* quòd quamvis non ad omnia indistinctè, ad aliqua tamen, quæ certis in locis instituuntur, Rex Bohemiæ vocari debeat, uti probat *d. l. n. 21. ex Constit. Frider. 2. Imper.* Cùm E. ex privilegio id obtineat, non in ejus odium detorqueri debet, atque inde concludi, eum Imperii non esse statum. Sed benè regeremus, si frustrà Limnæ. contra ipsorum Regis Bohemiæ & Bohemorum confessionem & placitum desudare, & istud privilegium per contrariam observátiam esse amissum (de quibus suprà testati sumus) cui rei ipsi Bohemi ex inveterato odio erga Germanos, causam dederunt, ut Impp. qu. coacti fuerint, iis tanquam debitum subjectionis jugi excussoribus publicum sessionis honorem in comitiis Imperii denegare; adeoque nullius idonei auctoris testimonio demonstrabitur, ullum unquam Regem Bohemiæ, post receptum ab ipsis Hussitarum dogma, ad Comitia generalia vocatum fuisse, ut ex *Alberto Cranz. l, 8. c 5. in metropol. refert Magn. Dn. Ordin. d. l. n. 56.* ut ita quoq; privilegium familiæ Austriacæ tributũ, né sc. inviti in Comitiis comparere teneãtur (quod ex *Cuspin.* refert *l, 5. c. 2 n. 31.*) parùm patrocinetur Limnæo: quod enim ex privilegio competit, id singulare est, nec trahendum ad consequentiam: deinde vocatur ea quoque ad comitia, in quibus si placuerit comparere, utique locum & votum etiam obtinebit. Quod ad Electorum atque Principum Imperii responsum in conventu Pragæ *Ann.* 1610. Matthiæ Ungariæ Regi datum & à Limn. *d. n.* 23. allegatum attinet, dici potest, eos vocabulo status non propriè sed latè usurpare, pro nobiliori nimirum Imperii membro, ut ex lectione apparet. Sed de hac th. fortè plus satis.

XIV.

XII.

De Judæis recipiendis & receptis quid juris? non satis constat.

Quamvis Judæos facilè non recipiendos esse putemus, cùm multa, & fortassis majora sint incommoda, quæ eos non recipiendos suadeant, præ illis quæ pietatem Christianam moveant, ut eos receptet: nunquam enim non verum deprehenditur illud: ut damno absque caper nunquam retinetur in hortis; sic nec Judæus sine damno in plebe fovetur.

& recepti plerunq; nobis illam impendunt retributionem, quã (juxta vulgare proverbium) mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis consveverunt hospitibus exhibere, teste Innocent. *in c. etsi 1. de Jude.* ut meritò felix, juxtà aliud diverbium, habeatur ea resp. in qua non est Abraham, Nimrod & Naamã: attamen quòd recipi possint Electoribus *c.9.§.2.A.B.* & hodiè omnibus aliis, regalia qui habent, aut speciale hac de re privilegium, Policey Ordnung zu Augspurg *An.1548.* §. Von Jüden. Und zu Franckfurt gebessert *An.1577. tit.20.* indultum videmus: ab aliis jura hæc non possidentibus recepti, securitate publica non gaudent. *d. tit. 20.* Hinc in mandato quodam sine clausula, Cassel contra Wilßheim / die Abschaffung der Jüden zu Ronse betreffend / Imperator inquit: Dieweil dann ihr kein Stand des Reichs seyd/noch als privat einige regalia haben und erlangen können / *ut ex Ruland. refert Magnific. Dn. Reinkingk de R. S. & E. l. 2. cl. 2. c. 3. n. 16.* Prudenter tamen fecerit Magistratus, prout omninò debet, si certis quibusdam conditionibus & legibus eos constringat, *de quib. vide Magn. Dn. Præs. d. disc. 5. th. 6. in fin. Dan. Otton. de J.P. c.19. pag.644. Limn. l.3. c.2. n.28. & seqq. de J.P. Dn. Reinkingk. d.l.n.17.* nec propter munera faciliorem iis, quàm Christianis se præbeat, sicut hodiè non paucis in locis, facilior Judæis, quàm Christianis apud Magistratum patet aditus: sed ita tractet, ut Christianis subjiciantur, & ab iis pro sola humanitate foveantur, *c. Judæi 21. ext. de Jude.* utpote quos perpetuæ servituti propria submisit culpa *c. etsi ex. d.t.* Inprimis autem cùm inter causas, quare tolerari debeant, principem locum teneat conversio Judæorum, si non omnium, plurimorum tamen & plerorumque, ante novissimum diem

adhuc fienda, *uti probare volunt ex Rom.11.verſ.25 & 26. Hoſ.c.3. v.4.* iccircò Magiſtratus admonitus *ex Pſal.24.v.9.* seriò diſponet, nec ſe ab eo per largitiones (prout id genus hominum nimium quantum iſtis in caſibus in largitiones facilè eſt & proclive) turpiter dimovere patiatur, ut videlic. concionibus Chriſtianorum ad audiendam SS. Evangelii prædicationem interſint, quod Romæ practicari teſtatur *Limn. d.l. n.32.* & omnibus in locis, ut fieret, exoptandum eſſet! quî enim convertentur, ubi non crediderint in Chriſtum? quî credent, ſi non conciones audierint Evangelicas? *Rom.10.v.17.* quod tamen Theologorum religioni relinquo, ad inſtitutum revertens. Judæi igitur ſic recepti, ſi in ll. ſibi præſcriptas deliquerint, cùm aliâ quàm ejectionis pœnâ coerceri queant, non ſtatim contra pacta & privilegia, pro lubitu ejici debent, *arg. l. ſicut.5.C.de O. & A.* maximè ſi quietè, nihilque tentantes, turbulentum legibusque contrarium vivant *l. 6. C. de pagan.* Et in hanc ſent. in cauſa Abbatis Fuldenſis, Facultates Juridicas Colon. Ingolſtad. & Marpurgenſem reſpondiſſe atteſtatur *Dn Reink. d.l.n.47.* & ita 28. Sept. Anno 1551. contra Senatum Northuſanum mandatum cum clauſula decretum eſſe, eò quòd Judæum quendam Joachim Färber/ in protectionem ſuſceptum, civitate exire juſſiſſet, *ex Rulando refert Dn. Reink. d.l. & Magn. Dn. Præſ. d.l.*

XV.

An Imperator privilegia alicui vel à ſe vel à prædeceſſoribus conceſſa revocare potis ſit? in difficili poſitum reperio.

Sic utrumque *ex c.13. A. B. ibi: à nobis & ibi: Regibus prædeceſſoribus noſtris*, videbatur dicendum: verùm utrumq; inconveniens eſſe, diſtinctè cum *Magn. Dn. Præſ. d. diſc. 5. theſ. 24. & Rumlin p.2. diſſ.4. th.6. cum ſeqq.* demonſtrabimus; aut enim privilegia alicui ſunt conceſſa ex cauſa onerosa, putà ob pecuniã vel factum aliquod conceſſioni æquivalens, & revocari illa nec ex certa ſcientia, vel etiam plenitudine poteſtatis Imperatoriæ poſſunt: quia hujuſmodi conceſſiones vim contractuum obtinent, contractus verò potiſſimum ſunt juris gentium, *l.5 de I. & I. §.2. I. de I.N.G.* & *C.* quo Imperator non eſt ſolutus, ſed in iis

co.

eodem jure gentium cum privatis utitur, *arg. l. 60 §. 1. de condit. & demonst. l. 2. §. 1. de alim. leg. l. 6. de jur. fisc.* Ergò *l. 1. pr. de pact. l. sicut C. de O. & A. Dan. Otto de J. P c. 8. pag 187. ibid. Limn. in not.* Quo in passu non solùm ipsi concedenti, sed & successori talia revocare privilegia fas neutiquam erit, *per l. 2. & l. fin. C. de quadri. præscript.* non tam Imperator quàm Imperium per Imperatorem pacisci intelligitur: licet igitur sublata sit Imperatoris persona, tamen ut salvum manet Imperium, ita illius quoque ex pacto obligatio, *arg. c. signatiosè de rescript. in 6. Treutl. p. 1. disp. 6. th. 7. lit. b. Dan. Otto d. l. pag. 191.* Deinde vel privilegia ex causa meritorum conceduntur, quæ contractui æquiparantur, *l. 27. & l. 34. §. 1. de donat.* Ergò eadem in iis obtinebunt, quæ de prioribus diximus, *per jura vulg.* Vel deniq; ex mera liberalitate indulgentur, & nec hæc revocabilia esse putamus, cùm levitatis & inconstantiæ (quam à Principe longissimè exulare volumus) esset indicium, & aliâs quoq; jure dispositum reperitur, non posse quemquam facto suo contravenire, *l. 25. de adopt. l. 5. C. de serv. pign. dat.* quodque semel placuit, amplius displicere non posse, *c. quid semel de R. I. in 6.* nec quoque hoc casu à prædecessoribus concessa auferri poterunt, quia sibiipsi contravenire dicitur successor principis, factis antecessoris contraveniens, *ut ex Bald. monet Rumlin. d. l. th. 3.* uno semper existente Imperio, cujus intuitu omnia, quæ cum Imperatore tractantur, peragi solere modò diximus, & optimè huc facit *c. justitia. 25. q. 1 c. si ea, & c. quod v. d. caus. 25. q. 2.* Dicta tamen procedere volunt Dd: nisi justissimæ & gravissimæ, publicamq; utilitatem principaliter non secundariò concernentes causæ id svaserint, cujusmodi esse possunt, urgentis belli, extremæque famis imminentis necessitas, aut diræ pestis sævitia, quibus ubique & similibus casibus immunitates & privilegia revocari, ab æquitate alienũ non est, *l. 1. & 2. C. de navib. non excus. lib. 10. Rumlin. d. l. th. 12.*

XVI.

Difficultatis & dubitationis plena *ex c. 15. A. B.* agitatur disceptatio: num subditi protectioni alterius, absq; auctoritate ordinarii magistratus se submittere queat?

Negativa regulariter verior est *per l. 1, & 2. C. ut nemo ad suum patroc. suscip. rust. Nov. 17. c. 13. & 14. A.B. c. 15. R J. de An. 1529* §. Wir/ auch Churf. *quod repetitum in R.I. de An. 1541*§. Vnd damit im H Reich *in fin. & de An. 1555.* § Es sol auch kein Stand. Ad religionem enim & officium domini spectant, ut ipsemet subditos protegat suos & tueatur, *l. 6. §. 2. de offi. Praes.* At quis non videt per colligationem parentelae sive protectionis per obliquum dominum injuriâ affici, quasi is non earum sit virium, ut subditos tueri suos ipse valeat: hoc quoq; periculi inde extimescendum foret, quòd subditi aliquando audaciores adversus suum dominum sint evasuri, protectionis nimirum freti auxilio. Nec excusabit paciscentes protestatio, quâ in colligationis instrumento uti solent, quòd sc. praetextâ initae parentelae juri superioris derogare nolint, siquidem contraria facto videtur, quae protestanti prodesse non solet, *c. gratum. ext. de offi. delegat. c. solicitudinem. ext. de appell. Magn. Dn. Praes. disc. 6. ad A. B. th. 2.* Et quamvis protectio à jurisdictione non eximat, aut novam inducat, juxta vulgatum: Schutz vnd Schirm gibt keine Obrigkeit: est tamen protectionis jus plerumq; jurisdictionis initium, *Andr. Gerhard. in dec. select. quaest. 8. apud Magnif. Dn. Praes. vol. 1. de J. P. disc. Acad. 31.* uti Historiae testantur de Cameraco, Tullo & Veroduno, *Zach. Victor de caus. exemt. imper. concl. 20.* Dixi regulariter hoc procedere: fallit enim in iis, quibus ex privilegio vel praescriptione jus eligendi protectorē competit, R. I. Anno 1555. § Es soll auch. *Reinkingk. de R. S. & E. l. 1. cl. 5. c. 4. n. 79.* fallit 2. in iis, qui se in universalis & supremi principis & protectoris, veluti Imperatoris clientelam submittunt, *Dn. Reink. d. l. n 75.* 3. fallit, quando justa & necessaria urget causa: quid enim si ordinarius Magistratus subditos contra vim aut ob negligentiam defendere nolit, aut ob absentiam vel impotentiam, aut alias causas non possit? *Zach. Viet. d. l. And. Gerb. d. l. Rumlin diss. 5. p. 2. ad A. B. th. 9.* Cautè autem eant, in protectionem alterius sese qui dedunt, cùm enim rarò primus post protectionem gradus existat invasio, *Pet. Gregor. l. 11. de Rep. c. 11. n. 6.* & facilè fiat, ut protectores die Schirmherrn fiant Stürmherrn/ *Besold. l. 2. pol. c. 6. n. 25.* & patroni evadant in Dominos vel etiam tyrannos, clientes verò in subditos vel

etiam

etiam servos *Bodin. l. 5. de Rep. c. 6.* Cautelas autem ineundæ protectionis *ex Bodin. d. l.* recensent *Victor d. l. & Reink. d. l. n. 91.*

XVII.

Occasione c. 16. A. B. quæritur: Utrum Academici aliò migrare volentes, Magistratui loci, ex quo discedunt, den Abzug oder Nachstewr præstare cogantur?

Nota est ista controversia inter Academiam & civitatem Rostochiensem, *ex resp. Acad. 19. Ernest. Cothm. n. 4. cum mult. seqq.* cum quo negante & nos transibimus; cùm enim ii ab omni vectigalis exactioni securi esse jubeantur *Auth. habita C. ne fil. pro pat. ibid. Dd.* ista autem præstatio sapiat vectigalis naturam, ab ea quoque tuti & securi præstandi sunt *Magn. Dn. Præs. disc. 6. ad A. B. th. 14.* Quod ad omnes Doctores legitimè promotos, itemque pastores & ministres Ecclesiarum, alibi, quàm in Academiis habitantes, *cum Matth. Berlich. concl. pract. par. 3. concl. 52. n. 33. extendit Rumlin diss. 5. par. 2. th. 7. ad A. B.* Quod etiam cum iisdem *Cothm. & Berlich.* ulterius ad prædictarum personarum viduas & liberos extendit *Rumlin d. l.* ob aliquas rationes quas ibi vide, & generaliter concludentem *Hunn. de privil. studios. c. 1. qu. 6 pag. 56.* quòd scil. omnibus immunitatibus & privilegiis viduæ, & liberi Academicorum, quibus ipse maritus & parens fruebantur, gaudeant, eamque sent. praxin & observantiam si non omnium, plerarumque tamen Academiarum confirmare ibidem asseverat.

XIX.

Ex cap. 20. A. B. hæc duo in disquisitionem vocamus: 1. num unus jus Electionis, alter verò Electoratum habere? a) 2. an possessor Electoratus alium in consortium regiminis Electoralis admittere possit? b)

a) Primum quod attinet, olim quidem ante bullam hanc nostram ita obtinuisse, ex observantia demonstrat *Magn. Dn. Ordin d. dis. 6. th. 27.* Quod Carol. noster *d. c. 20.* immutavit, atque disertè constituit perpetuis temporibus inviolabiliter ser-

39

vandum, ut cùm Electores seculares virtute principatuum eligant, ipsi Principatus ita uniti sint cum officiis, dignitatibus & juribus aliis, ut à se invicem separari non possint. nec idcircò in alium cadere jura queant prædicta, quàm in illum, qui ipsũ principatum cum terra, vasallagiis, feudis & dominio ac universis ejus pertinentiis dignoscatur possidere; & salubriter ita constitutum, ut officium Electorale habens, reditus quoque tantæ dignitati suppares obtineat, & onera Imperii maxima facilius sustineat, & retrò, ut terram Electoralem possidens, dignitatem quoq; Electoralem habeat, nec officium Electorale sit sine reditu, nevè reditus Electoralis sit sine dignitate, quemadmodum *ex Dionys. Gothofr.* refert *Magn. Dn. Præses d. l.* b) Et hinc fluit secundæ quæstionis decisio: prohibito enim aliquo, prohibita censentur omnia ea, per quæ ad illud devenitur, *l. 16. de Sponsal.* Jam verò *d. c. 20.* expressè prohibitum est, ne ullus alius, quàm possessor Electoratus administrationem ejus subeat, aliaq; jura vi istius competentiæ usurpet. Atqui si fratrem vel alium in regiminis Electoralis consortium Electori liceret adsumere aliũ quàm qui Electoratũ possidet, in administratione ejus, aliisq; juribus substitueremus: frater enim secundogenitus nedum alius, nullum jus in terris ad Electoratum spectantibus sibi potis est adserere, sed illud omne primogenito (exclusis cæteris) à lege tributum invenitur *in c. 7. §. 1. c. 25. § 1 jun. d. c. 20. A. B.* Alias rationes suppeditabit *Magn. Dn. Ordin. d. l.* cumque sequutus *Rumlin. diss 9 par. 2. ad A. B. th. 18.*

XIX.

An notoria ista Germaniæ consvetudo, quâ feudâ regalia, Ducatus, Comitatus, &c. alicubi dividuntur, toleranda sit, non immeritò ambigitur?

Sanè equidem ne ea dividerentur, prohibuit Fridericus I. *2. Feud. 55. §. præterea ducatus, &c.* quo respexisse censendus est Carolus noster *in pr. tit. 25. A. B.* ab aliis principatibus ad Electoratum argumentum ducens. Qua in re ut perstitum esset, non parùm e re Imperii, familiarum & subditorum fuisset, ut ostendit *Rumlin diss. 5. par. 3. ad A. B. th. 2.* sed cùm ab ea per

Ger-

Germaniæ consvetudinem recessum sit, ita ut hodiè prædicta feuda majora (in Electoralibus enim in hoc usque tempus *bullæ hujus d. c. 25.* constitutionem, continuâ successionum serie inviolabiliter observatum fuisse, attestatur *Magnif. Dn. Ordin. d. disc. 6, th. 33.*) inter Principes dividi, atque ita ex generali & ordinario jure pari passu in iis liberos masculos succedere cernere liceat, eam etiamnum vigentem tolerandam esse cum *Magn. Dn. Præs. d. l.* existimamus, quia per eam pax & concordia fratrum sustentatur, inter quos ut pares dignitate inæqualitas ista (si ab aliis excluderentur) non potest non simultates secum trahere, ut non ignotum est, quàm miserè bella Germaniam hac de re excitata, adflixerint: cujus conservandæ concordiæ, si non potior certè par ratio cum splendore familiarum, haberi debet. Quamvis (quod notandum) in Germania plerumque non tam ipsa regalia ducatuum & similium majorum feudorum, & jurisdictio, quæ apud omnes in solidum maneat, sed potius administratio, fructus & commoditates quasi ex usu dividi censentur, uti ex *Wesenb. & aliis* monet *Dn. Reinking, sæpè d. tr. l. 1. cl. 4. c. 17. n. 16.* idq; commodè fieri potest, si ducatus contineat loca, præfecturas & ditiones separatam jurisdictionem habentes, sonderliche Empter und Herrschafften / *idem d. l. n. 18.* Atque ita Illustriss. Ducum Saxoniæ Vinariensium ditionem distributam esse videmus, prout etiam testatur *Limn. de J. P. l. 4. c. 8. n. 123.* deque Hassia idem confirmant *Reinkingk. d. l. n. 22. & Limnæ. d. l.* quamvis in hac non ita pridem aliud sit introductum, monente *Reink. d. l. n 54.* Et hanc administrationem aliam esse ab ipsis Feudis, & eorum dismembratione demonstrat *idem n. 21.*

XX.

Claudat agmen istæc quæstio: si Elector in celebratione curiæ Imperialis, vice suâ legatum mittat, anne is vel vicarius, a) & si vicarius legatum mittat, anne is vel ordinarius curiæ minister, b) officium ejus peragere debeat? Post. A.

a) Hac in re cum controversia moveretur in coronatione Car.

Carol. V. Imper. pro vicariis judicatum esse, testatur *Harim. Maur. in d. coron, Car. V. tit. quo appamtu.* itēq; observatū in electione Matthiæ *ocularis testis est Gerlac. Buxt. diss. ad A.B. concl. 51.* cui etiam observantiæ meritò cum *Magn. Dn. Præs. d. disc. 6. th. 43.* stamus, quia officia ista Electoribus *in cap. 27. A. B.* commissa, personalia esse noscuntur, quæ ad alios transferri non poterunt, *l. cujus 9. de curat. fur.* b) Hinc etiam, si Vicarius legatum mittat, non is, sed Ordinarius Curiæ Imperialis minister officium geret, fructumque *ex d. c. 27.* competentem feret, *propter modò adduct. rat. 2.* illud officii vicariis tribuitur sub conditione, si scil. ipsi præsentes in curia Imperiali ministrent, §. *ult. d. tit. 27.* conditio autem omnis in forma specifica, non per æquipollens, est adimplenda, *per vulg jum. 3. A. B. in d. §. ult.* In locum absentium vicariorum dispositivè substituit ordinarios curiæ magistros: provisio autem legis dispositivæ tollit & excludit provisionem hominis, *arg. l. 55. de leg. 1. l. 42 de oper. libert. Quirin. Cubach. in Jurisp. Germ. publ. c. 27. n. 14. 15. & 16. apud Magn. Dn. Præs. de J. P. vol. 2. disc. 35.* eumq; secutus *Rumlin. diss. 5. part. 3. ad A. B. th. 24.*

Atque hunc toti huic Collegio Publico Colophonem pro ingenioli modulo imponere mihi visum est, DEO TRIUNO sit laus, honor & gloria.

F I N I S.

